Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 989
Quelle:
Copyright:

borum nouitates ut ait apoſtolus uitemus et in nullam partem precipiti aſſertione declinemus. Innuere haec videntur tempus, quo, ut autor eſt *Tritbemius* de *Petro Abaelardo n.* 381. Philoſophia ſecularis ſacram Theologiam ſua curioſitate inutili foedare coepit. *Auguſtino* frequenter utitur doctus, ſed mihi ignotus Scriptor.

V. *fol.* 131. p. 2. *Verbi prefacio. et ſacre ſcripture continuatio.* Legendum puto *commendatio.* Ita ſuadet initium: *Eſt ſacra ſcriptura utilis ad docendum. ſuauis ad monendum. arguta ad arguendum. diſtricta ad corrigendum* &c. Ita pergitur quatuor ejus Senſus comparando quatuor Elementis, Annulis Arcae, Jejunii temporibus, Rotis currus Aminadab, *quarum prima per tragediam incedit bellica ut libri machabeorum pertractans. Secunda per comediam nuptialia dum cantat ut cantica canticorum. Tercia ſatyrica. i. reprehenſiua ut euangelium arguens mundum de peccato. Quarta uero ymniloga lyrico carmine ut pſalterium ineffabile ſuauitatis iubilum uniuerſitati ſuauiſſime inducit.* &c. et tandem concluditur: *Cauſa igitur hec noſtra ciuilis uelut manna celitus donatum ſit uerbum illud rem publicam reconcilians incarnatum pertingens a fine usque ad finem fortiter et diſponens omnia ſuauiter.* Atque hinc conjici poteſt, cur Tractatus hic ſupra *Verbum* inſcriptus ſit. Dividitur ille porro in Rubricas ſequentes: *De uerbo incorporato ſine materia materiam creante. De vita germinali. De vita animali. De vita rationali. Ratio loci temporisque communis. De forma omnium. De graciarum actione et fidei oratione. De oſculo nature et gratie dei. De materia amoris. De potentia rationalis creature. De differentia boni et mali. De contrariis boni et mali. De differentia boni et boni. De differentia mali et mali. De habitu et priuatione. De neceſſitate boni et mali. De uirtutum et uiciorum origine.* Initium Rubricae I. eſt: *Verbum igitur eſt, quo eſt et regitur, quod in effectus cauſarum prodire et redire habet, ſed non datur ultra. Verbum igitur cum ſit forma totius ſilentii, et c^{m}. c^{m}q;* (ita ſcriptum) *uerbi ſilentium ita plane, ut neutrum ſine altero pronunciandi modum, nec alterum cum altero habeat. modus eſt, ut, vbi uerbum, non ſilentium, vbi ſilentium, non uerbum, cum tamen uerbum non uerbo, ſilentium non ſilentio, uerbumque ſilentio, ſilentium vero non uerbo uideatur.* &c. Hominem nebulis *Pythagoraeo — Platonico — Cabbaliſticis* Doctrinam Chriſtianam involventem audis, quales Seculo XVI. *Franc. Georgius Venetus*, *Paulus* noſter *Scalichius* et alii fuere. Per totum Effatis biblicis argutias dialecticas miſcet, ſcribendique ratione tumida, ſcabra, obſcura utitur, ut videatur, quandoque nec ſe ipſum intellexiſſe. Vel extrema argumento ſint: *Venit igitur filius hominis. quo nam modo. non modum oſtendere. cum ſit modus immoderatio euenire ſcandalum. ſed modo uirtutis. id omnino euacuare. quia uenit querere et ſal-*